



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii  
Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Disputatio LXVIII. De admiratione, ira & via Christi. S. Thom. a. 8. 9. & 10.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.  
q. 15. a. 6.  
& 7.

Trinit. asserentem Christum non habuisse dolorem. Respondeo, Hilarium locutum de dolore, quo mors fugeretur; non verò de dolore, qui subderetur voluntati moriendi: ait enim non potuisse mortem timere, qui eam liberè, & sua voluntate obiit. Admittit item dolorem, & alias passiones sine effectu passionum, scilicet sine impatientia, & voluntate fugiendi: inquit enim, *nec tamen ita, ut passionis conficeretur iniurijs.* Denique probat has passiones assumptas à Verbo, non ex infirmitate,

sed ex voluntate, ad demonstrationem naturæ humanæ: agit enim contra hæreticos asserentes Christum fuisse ignorantem, timidum ac inhabilem, sicut sunt ceteri hominum. Hos reprehendit inambulatione Christi super aquas, & alijs miris potestibus Christi, qui ut mira potuit efficere, sic potuit & dolorem vitare; si voluisset. Inferiùs autè tristitiam admittit in Christo ex amore eiusdem in eos. Sanè subdifficilis est Hilarius: sic tamen facillè componitur. Vide P. Maldonatum in Matth. 26. 37.

## DISPUTATIO LXVII.

Utrum in Christo fuerint tristitia, & timor?

S. Thom. art. 6. & 7.

§. 1.



Onclusio affirmatiua. Dolor à tristitia differt: quòd ille habet pro obiecto corporis læsionè; hæc verò habet pro obiecto malum interiùs apprehensum, licet etiam sit per sensum externum, ut cùm quis tristatur ex amisso honore, vel etiam ex damno alterius, quem amat. Christum verè habuisse tristitiam, patet ex Matth. 26. n. 37. & 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Item, *Cæpit contristari, & mæstus esse.* Contrà: Isaiæ 42. dicitur de Christo, *Non erit tristis, neque turbulentus.* P. Vasqu. disp. 62. n. 11. rectè explicat hunc locum, *tristem in præsentia sumi pro truci, siue feroci:* quod patet ex alia voce *turbulentus*, scilicet per ferociam se & omnia turbans.

§. 2. Negate videtur S. Thomas propriè timorem in Christo propter Aristot. auctoritatem; verùm Christum timuisse testis est Marcus c. 14. n. 33. *Et cepit pauere, & cadere.* P. Maldonat. in c. 26. Matth. n. 37. hæc ait, *Et ita omnia docent, Christum timuisse mortem, ut negari saluà Scripturæ auctoritate non possit.* Pauere apud sacros & profanos nihil est, quàm timere, nisi fortè addat vehementiam timoris: vbi autem Scripturæ & Patres planè loquuntur, sunt accipiendi propriè, dum nihil obest. Hic autem vnus obijcitur Aristot. in quem impingendum est, ne illi deferantur: quin quod loquitur Aristot. non de timore; sed de illo quem orator per-

suadere debet, ut ciues sibi consulant: si autem damnum effugi non potest, non est timor persuadendus à theore, sed ciues armandi ad illud æquo animo ferendum.

§. 3. Caiet. opinatur in appetitu Christi fuisse propriè timorem: quia illi proposita fuit mors abstracta ab infallibilitate: at in anima Christi eum non fuisse propriè. Verùm Caiet. deuiat à S. Thoma, negante in Christo speciem timoris proprii. Deinde sensus & appetitus Christi mouebantur ex imperio voluntatis: hæc autem certò sciebat mortem esse infallibilem; vnde propter connexionem harum potentiarum repræsentata fuit mors appetitui vt certa: & cùm animus Christi fuerit velle angere propter nos, non reliquit appetitui speciem effugiendi; sed illi efficacissimè proposuit vim tormentorum certò futurorum: quibus ita contremuit appetitus, vt sit actus in pauorem, mæstitiam & tædium. Meritò etiam ait P. Vasqu. disp. 62. n. 17. esse dignum graui censura, negare in voluntate Christi timorem: nam, vt patet ex B. Epiphania. hæresi 77. & ex P. Maldon. in cap. 26. Matth. n. 37. ijs testimonijs vritur VI. Synodus, & alij Patres, ad probandum, à Verbo assumptam mortem. S. Thomas non negat in voluntate timorem: quem admittit in appetitu. Hac de re fusè ago vol. 2. disp. 113. sect. 5. quòd me reijcio.

## DISPUTATIO LXVIII.

De admiratione, ira & via Christi.

S. Thom. art. 8. 9. & 10.

§. 1.



Vltimam capitur admiratio; semper tamen est de re excedente facultatem naturalem admirantis in eo statu, in quo eam miratur; vt vir miratur fortitudinem pueri; quia ipse in ætate id non posset, vt rectè obseruat P. Vasquez

disp. 62. n. 38. & 39. quapropter solet à duobus spectantibus rem aliquam miram, alter mirari, alter verò non: quia qui non miratur, potest rem illam facere, aut eius causas cognoscit. vnde Deus nihil mirari potest. Hinc ortum traxit Aristotelis doctrina 4. Ethicor. cap. 3. magnanimum non esse procliuem

eliuem in admirationem, & parcum esse laudatorem: quia animo est superior ceteris, quorum pauca opera sunt ultra eius animi magnitudinem. tamen non est contra magnanimitatem aliquando mirari: quia homo non potest ceteris omnibus esse superior.

§. 2. Admiratio est affectus voluntatis. August. epist. 101. ait esse quoddam admirationis genus affectum laudandi rem aliquam magnam, raram, & insolitam: qua ratione ait Christum miratum fidem Centurionis, eamque laudasse. ac sæpè contingit, vt, cum quis rei insolitæ causas percipit, adhuc perseveret in admiratione, vel in laude eiusdem rei. verum cum Deus laudet etiam res raras, & insolitas, & magnas, & non miretur; opus est aliquid addere, nempe aut eas esse supra naturales vires admirantis, vel excitari affectum aliquem sciendi aliquo modo causam rei miræ; quæ causa aliquo pacto ignoratur. perseveratur autem in admiratione etiam cognita causa: quia perseveratur in gaudio rei miræ, & in gaudio de noua cognitione causæ. quod gaudium dici potest admiratio. Frequentior vsus admirationis est pro affectu sciendi causam rei, quam admiramur. Ita B. August. supra: Aristoteles autem 1. Metaph. cap. 2. dixit admirationem fuisse philosophandi principium: & S. Thomas 1. 2. q. 32. art. 8. ait admirationem esse desiderium sciendi causam occultam rei admirabilis. In primo saltem sensu certissimum est, in Christo fuisse admirationem: quia laudauit res magnas, & insolitas, quæ sunt supra eius facultatem naturalem. in qua significatione non potest negari admiratio in Christo. At verum habuerit gaudium de re magna & insolita, cum desiderio efficaci, aut simplici affectu cognoscendi causam aliquo modo ignoratam? est difficultas.

§. 3. S. Thomas in hoc art. Caietan. ibidem, & in cap. 8. Marth. (vt fatetur P. Vasquez supra nu. 28.) omnes auctores (vno aut altero ex recentioribus excepto) propter testimonium Lucæ 7. & Marth. 8. admittunt in Christo admirationem secundum proprium conceptum. quorum opinionem vt communiorem, ita arbitror probabiliorem: quibus etiam subscribit P. Ragusa disp. 197. Cui præmitto, scientia experimentalis Christi eius voluntatem moueri affectu naturali non secus ac si nullam aliam scientiam haberet: quamuis enim cognitio maximè iudicatiua dirigit voluntatem. Patet etiam: quia multi affectus doloris atque tristitiæ oriebantur ex hac scientia in voluntate Christi, vnde representans hæc scientia rem aliquam insolitam, poterat voluntatem Christi afficere, tum ad laudem talis rei, tum ad cognoscendas occultas eiusdem causas: nam cognito effectu poterat per hanc scientiam ignorari causa: hinc autem ortum habet auiditas causæ sciendæ; hæc autem est admiratio propriissima. quod si Christus alijs scientijs caruisset, & haberet hunc affectum, verè esset admiratio: sed nunc retinet essentiam eandem, quia est idem appetitus sciendi causam.

§. 4. Oppositum censent PP. Vasquez disp. 62. n. 35. & Suarez in comment. art. 8. vers. Verum vt explicemus. ait P. Suarez Christum nihil imprudenter voluisse: at per illam scientiam non poterat scire causam rei: verum illa scientia à posteriori potest eam cognoscere: verbi gr. in fide Centurionis vidit Christus signa externa, quibus miles & dux

Ethnicus prouoluebatur ad pedes Christi: res illa. s. Thomæ erat insolita propter superbiam militarem: nesciebat per hanc scientiam, ex quo animo id efficeret, & an illudendi? an ex melancholia? potuit optare scire quæ esset causa illius deiectionis, vt nobis contingit. Optauit (inquam) vt ipse loqueretur, & ostenderet causam, colligens vel ex verbis Centurionis causam esse obseruantiam in Christum, valde affectus fuit in eius laudem; potuitque esse aliud quod tempus inter cognitionem causæ, & effectus: totum illud, quod fuit interiectum inter illam deiectionem externam, & verba Centurionis: quia ex illo effectu non potuit subito colligi causa; nosque nullo alio modo scimus res ab arbitrio pendentes. Hinc soluitur aliud argumentum ipsius P. Suarez. Quod verò ait eodem experimento cognosci effectum & causam, non semper est verum. Vt patet in presenti casu: quia externum cultum Centurionis cognouit per experimentum specierum impressarum, quas emisit externa illa Centurionis depressio; fidem autem percepit per species verborum, quæ Centurio fecit per interiectos amicos, & per se.

§. 5. P. Vasquez disp. 62. n. 33. sic argumentatur: Quia non potuit Christus desiderare cognoscere per scientiam inferiorem causam illius effectus, quæ erat fides: ergo non potuit admirari. Probat antecedens: quia per scientiam infusam intuebatur Christus fidem Centurionis; quæ fides non poterat cognosci per scientiam acquisitam, nisi tantum fide naturali: fides autem, & cognitio intuitiua non possunt simul esse. Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, responderetur scientia naturali posse cognosci fidem supernaturalem abstractiue, & per alias species, quin per testimonium dicentis: illa autem cognitio non pugnat cum intuitiua, vt patet in eodem Christo inueniente Deum per scientiam beatam, & eum abstractiue cognoscente per alias scientias.

§. 6. Secundò argumentatur: quia licet Christus posset desiderare cognoscere causam rei insolitæ nouo modo per scientiam acquisitam; tamen illum effectum non esse admirationem: quia non est affectus cognoscendi simpliciter causam, quam perfectissimè sciebat per aliam scientiam; sed tantum est affectus cognoscendi causam secundum quid, scilicet nouo modo: admiratio autem est affectus cognoscendi rem, quæ ignoratur. Respondeo, in Christo duos esse affectus sciendi causam rei insolitæ: alterum, ortum ex scientia infusa, per quam Christus perfectissimè cognoscebat causas rerum: hic affectus reflexè terminatur ad cognitionem causæ per scientiam acquisitam, ac propterea iste non est admiratio, tum quia oritur ex perfecta cognitione effectus, & causæ: tum quia reflexè vult scire causam, non simpliciter, sed secundum quid. Alter affectus est naturalis, ortus ex ipsa scientia acquisita, quæ non vult reflexè cognoscere rem per scientiam acquisitam; sed tantum est affectus terminatus ad cognitionem causæ secundum se: hic enim nec respicit ex se alias scientias, nec reflexè versatur circa illas; sed eodem modo fertur in cognitionem causæ, quo, si nulla esset alia scientia: imò si non esset alia, hic esset, essetque simpliciter admiratio. cum igitur modò retineat totam illam essentiam, modò etiam erit admiratio: existentia autem aliarum scientiarum est illi accidentaria: quia

S. Thom.  
9. 16.

ab illis non pendet essentialiter, nisi ad summum quoad exercitium: quia Christus per illas scientias directus posset nolle admirari.

§. 7. Tertio obijcit, Christum non laudasse, nec fuisse admiratum nisi fidem internam Centurionis, quam non potuit attingere per scientiam acquisitam. Respondeo, Christum omnia laudasse: nam actus internus & externus pertinent ad eandem partem. Deinde respondeo, per scientiam infusam cognouisse fidem, eamque laudasse; per acquisitam fuisse admiratum: quia vtrumque testatur Euangelium: & eadem scientia vtrumque praestitum non testatur.

§. 8. Quarto obijcit August. multis in locis dicentem Christum non potuisse mirari: quia omnia nouerat. Fateor August. difficile posse explicari. Respondeo tamen, locutum de Christo ut praedito scientia infusa, ex qua non potuit admiratio oriri praeter rationem ab ipso August. redditam: at verò nos non loquimur de illa scientia, sed de acquisita, cuius non meminit August. in vlllo ex illis locis. Itaque damus Augustino quod contendit: addimus autem, quod omisit, & quidem prudenter omisit: sic enim clarius probabat plenitudinem scientiae Christi: nec erat opus recurrere ad scientiam experimentalem: quia fortè non poterat sine incommodo: in Scholis autem nullum est.

§. 9. Aduerte, admirationem alicuius rei insolitae, quam ut malam apprehendimus, vocari stuporem; esseque affectum illam vituperandi, & detestandi: supponitur autem esse etiam affectum cognoscendi eam.

§. 10. In Christo fuisse iram asserit S. Thomas art. 9. quoniam ira oritur ex tristitia, estque appetitus repellendi iniuriam illatam sibi, vel alijs; &

cùm in Christo sit tristitia de iniuria illata Deo, potuit etiam esse appetitus illam repellendi. Quae doctrina est certa: nam etiam Christus zelo Domini vrebatur, & flagellis eiecit è templo mercatores. Etiam ait Scriptura de Christo, eiusque inimicis ab ipso superatis, *Calcavi eos in furore meo*, scilicet ira iusta in rebelles contra Deum. Sunt quaedam plurima alia testimonia.

§. 11. Fuisse etiam Christum viatorem simul & comprehensorem, docet idem S. Thomas art. 10. quia Christus, qua parte videbat Deum, erat beatus, & comprehensor; at verò quia in corpore anima erat passibilis, ex hac parte erat viator: quia nondum comprehenderat, scilicet non fuerat affectus.

§. 12. Hæc doctrina est certissima, recteque obseruat S. Thomas, non modò Christum fuisse viatorem secundum corpus, sed etiam ex parte secundum animam: quoniam in anima habuit multos affectus voluntaris, tristitiae atque doloris de Deo offenso, alijsque obiectis, quæ merito illum poterant sollicitare. Hoc autem ita contingit. Viliò ex natura sua petebat, ut Deus à Christo auerteret omnem occasionem doloris atque tristitiae: quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. A corpore erant auertenda per quatuor illius dotes; ab anima verò per negationem concursus ad tales affectus. Hæc, quæ debebantur visioni beatæ, negauit Deus, recteque potest eadem voluntas gaudere de vno obiecto, & tritari de alio. Aduerte, Christum habere gratiam habitualem distinctam specie à nostra; quæ illum natura sua constituit extra viam in intellectu: quia petit semper visionem Dei propter identitatem cum lumine; ut ostendi disp. 26. de Deo sect. 6. subsect. 3.

## DISPUTATIO LXIX.

### De idiomatum communicatione.

S. Thom. quest. 16.

SECTIO I. De hac propositione, Deus est homo.

SECTIO II. Eadem propositio probatur ab alijs.

SECTIO III. Probata conclusio.

SECTIO IV. In qua materia sit hac propositio, Deus est homo?

SECTIO V. Quomodo idiomata inter se praedicentur?

SECTIO VI. Quid sit sentiendum de his propositionibus, Deus est humanatus, homo est diuinus,

homo est Dominicus

SECTIO VII. De hac propositione, Homo est Deus, art. 2.

SECTIO VIII. Vtrum ea quæ conueniunt filio hominis, possint predicari de diuina natura; & de humana ea, quæ conueniunt filio Dei, art. 5.

SECTIO IX. Vtrum hac sit vera, Deus factus est homo? art. 6.

SECTIO X. Vtrum hac sit vera, Homo factus est Deus? art. 7.

§. 1. **I**DIOMA propriè significat vulgarem sermonem cuiuscumque prouinciæ: sumitur etiam pro sermonis proprietate; à Theologis autem pro prædicatione vnius rei de alia: maxime verò vsurpatur in hoc mysterio pro conuenientia prædicati naturæ humanæ de diuina, vel è contra. Cùm ergo quæ conueniunt naturæ humanæ, adscribuntur Deo; & quæ conueniunt Deo, adscribuntur homini, dicuntur conuenire per idiomatum communicationem.